

rum consuetudo est, ut libri ab ea re potissimum inscribantur, quæ in illis primùm tractatur. Vnde liber Geneleos בְּרֵאשִׁית bereschit nominatur. Non quod in eo nihil aliud, quàm principium, & rerum creatio tradatur, sed quod hæc de rebus statim in limine agatur, & sæpe item fit, ut libri à primo vocabulo, vnde oriuntur, nomen habeant. Nec defuerunt, qui arbitrati sint, non quidem in vniuersum, sed vsque ad eum locum, vbi de ipsius morte agitur. Sed quis postea scripserit, quæ sequuntur, non omnes idem sentiunt. Quidam opinantur Nathanem, & Gaddum Prophetam illa subiecisse, quæ obitum Samuëlis sunt consecuta. Certum quidem id est, Regum historiam è variis Prophetis fuisse conscriptam: deinde in hos libros contractam, quo lectio perpetua esset, & magis conspicua. Alij verò sunt, qui multa fuisse ab Ezechia rege coniuncta, & multa item per Esdram sacerdotem & Prophetam disposita. Sciendum præterea in hisce libris non tantùm res gestas Samuëlis & Regum contineri, verum etiam pleræque vaticinia, necnon dicta & facta Prophetarum fuisse conscripta. Vnde non tantùm Regum historia nominatur, sed etiam inter maiores Prophetas hoc volumen recensetur. Hieronymus in suis Traditionibus Hebraicis hunc librum esse putat, qui olim inscribatur iustorum, sed quantum eius sententiæ tribuendum sit, lectoris iudicium esto. De ratione verò temporum huius historiae, id sciendum est: ab exitu Iudæorum ex Ægypto vsque ad Eli sacerdotem numerari annos 366. & ab Eli vsque ad captiuitatem Babylonicam intercessisse annos plus minus 570. Hactenus Vermilij Proæmium.

Quo tempore Regum historia cœpisse feratur, & quòd certum annorum numerum inuestigare non possumus.

His ita explicatis, adhuc vnum desiderari posse videbatur, antequam ad opus destinatum aggredimur, ut scilicet Chronologiæ rationem aliquam iniremus: verùm, ut ingenuè fatear, neque tempus, neque annorum numerum quo hæc contigerunt, certò definire possumus: sed neque ab alio fieri posse speramus. Neque tamen veremur, ne beato Philastrio iudice, idcirco hæretici habeamur, quòd incertum esse annorum numerum à mundi origine, & ignoret, ut ait, homines curricula temporu arbitremur: nam, aut solus ipse est Orthodoxus, aut certè nemo idèò iudicandus hæreticus: puto enim quòd in annorum numero consentientem præter se habet neminem. Nec verò secum vbi que consentit, ut eidem exprobrat Alphonfus à Castro, verbo *Annus*. Quam porò diuersam ab aliis numerandi rationem ineat, ibidem Alphonfus ostendit: neque enim aut illi cum Eusebio conuenit, quem imitatur S. Augustinus Septuaginta interpretum longo vsu corroboratam auctoritatem secutus, aut cum Venerabili Beda,

Tempora & annos huius historia certò definire non possumus. S. Philast. in Catalogo hæret.

Alphonfus à Castro aduersus hæreticos.

A qui S. Hieronymi vestigijs insistens Hebraicam veritatem amplecti maluit. Quòd tamen ait Alphonfus eundem B. Philastrium ab origine mundi vsque ad tempus, quò illud opus scripsit, quinquies mille trecentos septuaginta annos posuisse, in calculo error est, nisi non forte exemplaria fallunt. Nam collatis sedulo numeris, quibus singula temporum interualla concludit, 5939. reperimus. Nec solus Alphonfus, sed etiam Theodor. Bibliander in libro de ratione temporum, quo loco varias ac multiplices annorum computationes ab Orbe condito ad natalem Domini IESV recēset, diuersum ab eo, quem statuit S. Philastrius, annorum numerum appingit. Illi namque annos 5801. tribuit, cum tamen reuera 5509. solummodò habeat, quo etiam numero cum nemine concurrat, Nam & qui Græcos interpretes approbant, mirificè variant inter se. Nam Eusebius Cæsariensis in Chronico, Barpt. Platina, Vincentius definiunt summam annorum 5199. Vrspergensis Abbas, Ioann. Nauclerus 5201. Philo Hebraeus, S. Augustinus libro 2. de mirabil. Scripturæ, vel quicumque ille nobis Augustini nomine obrepleat, 5195. S. Isidorus annum addit insuper. Albumasar Astronomus, quem plerique neoterici putant sequendum esse in astris computandis, 5328. S. Augustinus alium etiam numerum ab illo priorē edit, 5353. Suidas verò cum pluribus Græcis 5600. Alphonfus autem rex pro fortunæ suæ magnitudine, atque copia, maximum numerum adiecit, 6984. Ioannes Carion omnium, qui Christi fidem profitentur, summam collegit breuissimam, excepto tamen vno Mirandulano, dum Iudæos sequitur. Nam Ioann. Picus, nisi forte corruptus sit numerus, 3508. Carion 3944. constituunt. Bibliander Scripturæ sanctæ, ut inquit, calculo exactiore 3979. inuenit, cum tamen Hebræorum plerique, & Chronica publicata 3760. designant: Et S. Hieronymus, ac Venerabilis Beda iuxta Hebraicam veritatem, 3952. definiant. Iosephum prætereo, nec paucos Rabbinos Iudæorum, Astronomorumque nobilissimos, quoniam vna omnium videtur esse sententiæ, ut ab inuicem dissentiant. Quis igitur in tanta opinionum varietate, atque inconstantia certò constare putet, quid maximè tenendum sit? Nec verò hic error postrema duntaxat tempora occupauit: verum ab ipsa penè origine, authoribus Septuaginta interpretibus, annorum seriem turbauit. Præcipuè tamen ea labes primæ, ac secundæ ætati adhæsit, quam nec nouis difficultatibus posteriora tempora caruerunt. Verum tanta caliginis quis primus author fuerit, quis prior eas tenebras offuderit, & veritatis lucem oculis mortaliū eripuerit, non facilè quis dixerit. Plures tamen sunt, qui velint eum errorem à Septuaginta primū interpretibus, tanquam à suo fonte manasse, dum annos Patriarcharum superiores, antequam prolem fusciperent, geminato numero auxisse videntur: quorum tamen ratio maximè habenda est, & à quibus pendet omnis ratio constituendæ Chronologiæ. Quorum mentem atque cen-

Theodor. Bibliander.

Chronographorum disceptantes sententiæ.

Septuaginta interpretes, dum non intelliguntur, primi annorum seriem turbauerunt.